



Iubilare Carmen

In

A C A D E M I A
L I P S I E N S I :

Cùm Ea maximè solenni festivitate insti-
tutâ, annum Secundum Centesimum nunc
primùm celebraret,

Die IV. M. Decemb. anni 1609.

Dictum

à

M. CUNRADO BAVARO HAL-
LENSI, POETICES PROFESSORE:
Majoris Principum Collegij Collegiato.

Accessit

L A U S L I P S I Æ

peculiari Carmine celebrata.



L I P S I Æ,

Impensis HENNINGI GROSSII jun. Bibliop.

Anno 1610.

12

16

Inspilate Carmen

A

A C A D E M I A

L I P S I E N S I S

Chant's name's solemn festive

the name's name in the name

primus obitus

Die 1. M. Octobris 1609

Dignus

M. C. T. A. D. R. V. A. L. O. H. A. L.

I. N. S. P. I. R. I. T. U. S. P. R. O. F. E. S. S. O. R. E. S.

Prof. Theol. Collegii Collegio.

W. L. P. S. I. E.

Prof. Theol. Collegii Collegio.

Die 1. M. Octobris 1609

L I P S I E

W. L. P. S. I. E. G. R. O. S. S. I. T. A. T. I. O. N. E.

Die 1. M. Octobris 1609

Prof. Theol. Collegii Collegio.





AMPLISSIMIS VIRIS,
SPECTATA DIGNITATE, PIETATE,
prudentiâ, virtute, atque autoritate
præstantissimis,

CONSULIBVS AC SENATORIBVS
Inclytæ Reipub. Lipsiensis gravissimis,

Dominis, Patronis, ac Fautoribus suis honorandis.



um Serenissimi Dn. Electoris
nostri benignissimâ concessione, ex in-
stituto Academiae celebranda esset Secu-
laris festivitas; qua exhibitorum bene-
ficioꝝ per tantum temporis spacium
grata recoleretur memoria, & pro ulte-
riori conservacione Academiae oraretur,
adhibitis peculiaribus quibusdam Solen-
nitatum ceremonijs: partes dicendi in
isto Actu peculiariter impositæ fuerunt M. IOHANNI FRIDE-
RICO, utr. L. & hist. prof. qui illius Academiae initia, progres-
sum, & rationem omnem disertè explicaret: Et mihi, qui to-
tum Actum decente gratiarum actione piè ac lætè conclude-
rem, quatuor Facultatum distinctis orationibus in aliud tem-
pus reservatis. Quod ut meo loco expedirem rectius, Res
mihi visa fuit repetenda altiùs, & magnitudo beneficiorum
ostendenda planiùs, quâ consideratione ad gratias concipien-
das animi Auditorum accenderentur magis. Res processit
feliciter: Auditi sumus uterq; , mira attentione, & voluptate
incredibili, tandemque pro salute atque incremento Acade-
miæ, ab omnibus congratulando plenis vocibus conclamatum,
atque illius diei, ut & sequentis, lætitia, in laudem præpotentis
Dei, festiviter continuata: ut ita de ulteriori Academiae conser-
vatione, & animorum firmiori conjunctione, depositâ omni
A 2 simultate,

simultate, non tantum inter Academicos ipsos, sed & Senatam
 hujus civitatis Ampliss, utrinque, dubitare non liceat: Cum &
 Ipse devotè atq; hilariter isti Actui interfuerit frequens, bonam-
 que & commendabilem partem sumptuum spontè contulerit:
 Cives etiã non pauci Academicam hanc festivitatem affectione
 præclarã, solitãq; benignitate promoverint. Quã re ostensum
 est liquidò, non minori gaudio ac lætitiã Musas commorantes
 retineri, quàm huc adventantes olim receptæ fuissent. Constat
 enim omnibus, vel ex Pragensiũ calamitate, contemptum, vim
 atq; injuriam Musas non magis ferre posse, quàm fumum apes,
 quo facilimè fugantur ac dissipantur. Sperabam autem fore
 (quandoquidem hanc nostram lætitiã angustis terminis non
 contineri, sed cum plurimis communicari oportere putarem)
 ut uno intuitu omnia exhiberentur conjuncta: sed quia diver-
 sum fieri animadverto, ut non tantum conciones ad populum
 factæ, sed & oratio Friderici, cum præfatione quadam exierit;
 jussus à Superioribus meum quoque *μῆρος* tandem emitto, cum
 honorificã compellatione eorum, quibus peculiariter id hono-
 ris deferendum esse existimavi, pro singulari erga Musas & ea-
 rum famulos affectione: & hospitalitatis officio tam diuturno
 ac benigno, cujus vel ignoratio, vel violatio, non tantum tur-
 pis, sed ignominiosi cujusdam stigmatis dedecore notanda
 esset. Vobis ergo, Consules ac Senatores Amplissimi, hoc
 meum Iubilare Carmen inscribo & offero, propter causam jam
 indicatam; Et quòd ex eo Urbis vestræ felicitas, quæ Musarum
 ope cumulatior efficitur, manifestius appareat: Cui Car-
 men etiam peculiare, in Laudem civitatis vestræ addidi; Nec
 dubito, quin, pro singulari vestra humanitate, hanc meam
 laudiac honori vestro inserviendi voluntatem sitis benignè ha-
 bituri, & Musis deinceps, tum communibus, tum meis etiam
 peculiariter, favituri. B. Valere. Lipsiæ, Kal. April. anni
 1610.

Ampl. VV.

Studiofis.

M. Cunr. BAVARUS.



Nu-ubila lata Deo fas est cantare
potenti,

Rectè agun-
tur Deo gra-
tia pro Arti-
um & lingva-
rum conces-
sione.

Atque immortales ingenti carmine grates,
Pro bonitate sua, pro donis grandibus istis:
Quòd nobis Artes de cœli vertice summo
Concessit varias, lingvarum & munera trina,
Quis sine nil tellus, umbris nisi plenus Avernus,
Quis sine Sol fulget nullo spectabilis ore,
Quis sine lux tenebræ, sine quis nox ipse dies est.

Ille Artes hominum sermonem, & pectora formant,
Et rerum complent ea cognitione bonarum,
Mitibus atque feros mores mutare laborant:
Hinc alie expellunt morborum semina dira,
Et vitas hominum producunt suavis herbis:
Iustitiæ hinc alie & Iuris documenta reponunt,
Iudicioq; gravi discernunt omnia facta,
Virtuti decus, & sceleri mala damna parando.
Has inter stellas SOL VERBI clarior exit,
Et magis illustrat specioso lumine terras,
Atq; serena facit nimium mortalia corda,
Vivaciq; beat per secula longa decore.

Exponitur
Lingvarû &
Artium uti-
litas:

& verbi cœ-
lestis puritas.

O nos felices, atq; omni ex parte beatos,
Munera quos tangunt Divorum talia plenè:
Hi sunt thesauri cœlestes: Vilius aurum est,
Quod foditur venis, quod præfert regia signa,

Amplificatio
utilitatis per
collationem
rerum pre-
ciosarum.

A 3.

Arti-

Artificisq; manus miro quod fulget honore:
 Et gemmae viles, caelesti rore madentes,
 Quodcumq; in precio est aliud vilescit ad illa,
 Pondere quae superant mare, caelum, atq; aethera longè.

Conclusio
 ornata diu-
 turgitatis
 mentione.

Rerum usu istarum quis nos gaudere vetabit,
 A proavis multis, quas tanquam flumine largo
 Ad nos deduxti, Fons ô bonitatis, amore
 Percussus magno, servans per secula bina,
 Atq; beans largè nostros sine fine penates?

Modus Gra-
 tiarum.

Noscimus hæc memores, DEUS ô, tua maxima dona,
 Et bonitate tuâ letamur, itemq; sonamus
 Vocibus atq; tuis meritas, & Carmine, grates,
 Atq; tuæ laudi solennia festa dicamus,
 Ponentes aris voti vi thuris honores:

Conclamant pueri, & concentibus aëra mulcent,
 Atq; senes tacito sub pectore gaudia volvunt,
 Et letos cantus illorum voce sequuntur:
 Laude pia reboat fornix, templumq; remugit,
 Et peane novo caelum undiq; solvitur altum.

Extenuatio
 facultatis
 Poëticae, quæ
 magnitudi-
 nem rerum
 non assequa-
 tur.

O mihi si liceat tantarum pondera rerum
 Complecti mente, ac meritorum extendere molem,
 Quæ patribus nostris, & nobis præstitit, inde
 Per duo secula DEUS, quis hæc Schola floruit, alma
 Multarum mater, dulcis nutricula vitæ:
 Sed quia lingua labat, nec vox sat idonea cessit,
 Nec mihi sufficiunt ad talia Carmina vires,

Qualia

Qualia res poscit, vel qualia poscitis Ipsi,
 Quos amor & pietas hæc visere Sacra cœgit,
 Atq; preces nostris votis conjungere vestras:
 Nec fas sit fugere, aut jussum violare laborem,
 Quod potero faciam: Lactentum linguaq; lausq;
 Nempe DEO grata est, cunctis & amabilis Ipsa est.

PRincipiò inventum non est Academia nostrum,
 Nec nostrâ curâ servatur, sive labore:
 Non est colluvies hominum, consumere fruges
 Natorum, veluti rude vulgus cogitat esse.
 Ut DEUS est author tantorum nempe bonorum,
 Et largitor opum, quas tellus, vel mare fundit
 Omnipotente sinu, vel quas cœlum undiq; spargit:
 Sic Artes, monstrante DEO, & Sapiencia cuncta
 Lumine divino, ceu fax accensa, relucet:
 Is dedit, Is servat clemens, tutatur, & auget.
 Is cœtus hominum ut civili fœdere junxit:
 Sic his doctrinæ curam, & virtutis amorem
 Indidit, & stimulos Veri & Recti addidit illis.
 Artes inventas si quis contrarius esse
 Dixerit, atq; habitum si dixerit esse Lycœum
 Gentibus impuris, à cognitione remotis
 Verbi cœlestis, humana quod omnia damnat:
 Hincq; Artes culpare velit, Sapienciæ & usum,
 Quem monstrant nobis congesta volumina magni

Plurima.

Commenda-
 tio studiorû
 à causâ eff:
 quæ est De-
 us.

Occupatio:
 Artium stu-
 dia ab Eth-
 nicis inventa
 & ad nos de-
 lara sunt,
 Ergò impro-
 banda.

Plurima Aristotelis, vel scripta diserta Platonis,
Sive etiam grandi sonuit quæ Tullius ore,
Et si quæ, vicina DEO gens illa, Poëta
Congessere, modis & dulcibus accinuerunt:

Confutatio
objectionis
1. Concessi-
one.

Quosq; humana viros sapientia tollit in altum,
Despiciat, damnetq;: Quid is, nisi munera summi
Larga DEI damnet, quæ Gentibus addidit ipse?
Qui non agnoscit, divini Numinis, Artes,
Munera, per gentes quæ parta relicta fuere;
Si modo non tradant contraria dogmata Verbo,
Luxurientq; nimis, capiant sed dura capistra,
Ille DEO Gentes non aestimet esse creatas.

2. Recti ac
salutaris u-
sus monstra-
tione.

Invisum spoliū est, Legi ac damnabile semper,
Et res ipsa potest cunctis injusta videri,
Non propter sese: Res est bona quælibet usu:
Sed quoniam accessit Legi contrarius actus,
Res damnata venit sub censu judicis: atqui
Purgato vitio res libera quælibet exit:
Sic Artes damnare potest has nullus abusus,
Si vitium expurges, atq; usus in meliores
Convertas, laudemq; DEI spectare potentis

Excusantur
Ethnici, quod
de Deo ne-
quaquam im-
probè aut
contumeli-
osè scripse-
runt: de vir-
tute autè ni-
mis rectè.

Si cupias, spectare hominum cupiasq; salutem.
Quæ pietate caret, non est sapientia: verum
Improbitas turpis, sapiens Plato dixit apertè.
Agnovère DEUM Gentes, sanctumq; habuère,
Quamvis non scierint qua sit ratione colendus.

A Iove

9.
A Fove principium rerum, & Fovis omnia plena
Qui dixit, dixit nihil à pietate remotum:
Grata DEI Fama est hinc undiq; sparsa per Artes:
Exosa improbitas fuit omnis Gentibus, Illis
Maxima laus semper fuit in virtute locata,
Longius haud potuit Ratio procedere recta,
Quandoquidem careat coelestis lumine verbi.
Non homini frustra Ratio est concessa, nec ille
Vi brutum debet, caeli convexa tueri
Luminibus distincta suis, & motibus aucta
Tàm varijs: Certa quod Sydera lege feruntur,
Haud quaquam frustra est: pluviasq; aestusq; ciere,
Et lucem nocti distinguere Sydera, nostris
Atq; animis varios affectus addere possunt.
Nec frustra Natura parens abscondidit imis
In terræ claustris, quarum est rerum usus amorque
Plurimus, ut careant nec & infera Numine largo.
Nec DEVS humano generi invidet abdita dona,
Sed preciosa manu quærentibus omnia promit.
Ornavit terram DEVS undiq; gramine & herbis,
Mirandas vires quibus addidit, haud sine causa:
Noluit ignotam contemni quamlibet herbam.
Corpora torqueri cum jusserit undiq; morbis,
Hinc morbis etiam medicamina quando paravit,
Occultata tamen, Medicamina quæerere jussit.
Vi taceam reliquas terreno in corpore doles,

Commen-
datio stu-
diorum,
à causa ma-
teriali, sive
natura re-
rum: 1. cœ-
lestium.

2. Terre-
strium.

3. Corporis
humani.

B

Seu

Seu maris, aut campi, si ve ætheris undiq; pleni
Tàm variam numero prolem, tàm mole stupendam,
Vnde DEI authoris Sapiencia noscitur alina.

4. Mentis
humanæ.

Et justi & Recti quam vis in pectore nostro
Semina sparsa latent: virtutem clariùs ipsam
Cernere per varias leges tamen inde licebit:
Discimus hinc vitam & mores formare decenter,
Iustitiæ ad normam, qualis mens dia putatur,
Et pœnam dictare malis, & recta probare.

Progressus
ad causam
efficiente

Istorum causam Studiorum præbuit Ipse
Cunctarum rerum solus fabricator & author:
Ingenium Ille homini tribuit, cœlumque tueri
Iussit, & hinc vires rerum & spectare figuras.

Naturæ codex primus mortalibus inde
Exiit, hinc studium latè atq; industria crevit:
Quos amor istarum rerum sociavit, & auxit
Cognitione bona, nonne hæc Academia vera est?
Est mundus Codex, partesq; volumina: claudit
Nullius ingenij vis finem Codicis hujus.

Omnia plena DEO, & miris sunt omnia plena,
Seu cœlum spectes, seu spectes infera cuncta,
Quæ prodit tellus, & cœli terminus ambit.

3. Commē-
datio stu-
diorum ab
effectu, q̄
est quom-
odolibet.

Ille DEO propior, qui plus intelligit, esse
Creditor, atq; Comes virtutis proximus omnis.
Dignus honor ergò manet, & reverentia digna
Secre vit vulgo quos larga scientia inertis
Et propiore gradu cœlo Divisq; locavit.

Cur

Cur pandis risum, cur dentes stringis in illos
 Vulgus iners, quotquot Sapiencia larga beavit,
 Quorum orbis totus magno splendore coruscet,
 Consilijs Regnum qui servant, moenia firmant,
 Quique domos junctas, & qui bona parta tuentur,
 Qui te quique tuos omni ratione juvare
 Nituntur, cunctis & qui prodesse laborant?
 Tale ministerium precio non posse vel amplo
 Aequari certum est: praestat Sapiencia cunctis.
 Quapropter Regum pro doctis cura juvandis
 Magna fuit semper, studium & laudabile, ut omnes
 Contra vim tutos, & contra noxia damna
 Discantes pariter praestarent, atq; Docentes.
 Et quia sponte sua, magno virtutis amore,
 Nec non doctrinae studio; patriae, atq; suorum
 Obliti, vitae immemores, sortisque futurae
 Degentes Musas alio sub Sole sequuntur:
 Securasque vias his constituere Priores,
 Et sine eos censu fecerunt ire redire.
 Ac ne deficerent aliquando alimenta profectis,
 Constituit Regum his stipendia provida cura
 Concessuque domos speciosas, omnia tuta,
 Et satis ampla sui tribuit documenta favoris.
 Regius est curare labor studia optima, Musas,
 Et servare pias, est gloria maxima, Musas.

Quaedam
 reprehenditur, & si-
 mul do-
 ctinae uti-
 litas com-
 monstra-
 tur.

Adjunctum
 doctrinae
 perpetuum
 favor Re-
 gum &
 princi-
 pum.

2. Conces-
 sio privile-
 giorum.

3. Consti-
 tutio sti-
 pendio-
 rum.

Cōmemo-
ratio Bene-
factorū ac
patronorū
doctrinæ
præcipuo-
rum.

Friderici
Imperator:
laus insi-
gnis & im-
mortalis.

Laus Ca-
roli Magni

Cæsaris hinc fama est illustrior omnibus oris,
Hinc micat Augustus cæli inter sidera clarè,
Hinc immortalis Mæcenas laude virescis,
Et si quos alios patronos ordo recenset
Longior, æternâ vi vunt post funera famâ,
Inter quos amplo stat Iustinianus honore,
Qui Musas magno complexus semper amore est.
Friderici est Habita immortalis laude feretur,
Cuius non capiet meritorum obliuio Musas.
Struxerunt alij Paro de marmore turres,
Sumptibus immensis ornarunt regia tecta,
Usque adeo ut facerent toti miracula mundo,
Nominis ut famam hinc aliquam sibi nempe pararent:
Sed mox tempus edax consumpsit splendida tecta,
In cineresque leues fastigia tota redegit,
Argueret curas ut vanas, ausum & inanem,
Vt nil de sumptu nisi fabula sola supersit:
Hec Habita est omni longè preciosior auro,
Hec Habita est duro viuacior ipsa metallo,
Hec Habita est omni sumptu, laude amplior omni;
Infumos jerint quando cum tempore cuncta,
Hec Habita extabit, peragetq; no vum usq; trium-
Ad seros etiam deinceps victura nepotes, (phum,
Doctorum firmum munimen & ornamentum.
Antè alios verò Musas dilexit & auxit
Carolus, Imperij qui felicissimus auctor,

Ger.

Germani fuit, & decus admirabile gentis
 Saxonice, fidei atq; optatae gloria pacis.
 Parrisijs Musas dulces clara vrbe recepit,
 Atq; ibi constituit sedem sine fine quietam,
 Regali tribuens illis sua munera sorte,
 Et publi statuens sua nutrimenta benigne.

Carolus Imperio hunc post secula quinta secutus,
 Felici exaequans hoc nomine nominis omen,
 Instituit sumptu non parvo grande Lyceum,
 Praga ubi magnificos ostentat splendida luxus:
 Hinc & tantum alias inter caput extulit urbes,
 Quantum lenta solent inter Viburna cupressi.
 Parrisijs deducta fuit pars maxima coetus
 Aonii, hinc Artes ceperunt rite doceri,
 Ipsum & Religionis opus processit adauctum:
 Doctrinae affulsit Saxonibus atq; propinquis
 Lux alijs, Sophies ut limina quærere vellent,
 Omnibus inde vijs concurritur, itur ad urbem,
 Munera quæ cupidis longè exoptata probaret.
 Floruit illa autem per seclum Academia totum,
 Atq; ultra alterius medium per venerat, Ecce
 Infelix cepit Discordia volvere rerum
 Fundamenta, locis mutaret ut infima summis:
 Solvuntur nexi, compages solvitur omnis,
 Et quassata facit tristem stru. Tara ruinam:
 Non aliter quàm quæ vento dimissa a Ta labascit,

Laus Caro-
 li iv. ex fun-
 datione
 Academiae
 Pragensis.

Ortus Pra-
 gensis Aca-
 demiae.

Pragensis
 Academiae
 dissidium.

B 3

Sol-

Solvuntur tegulae, tectum ruit, aethere toto
 Fit sonitus, trabibus perfractis summa feruntur
 Miscenturque imis, cumulus jacet instar arenae.

Discordiae
 vituperiū.

Quae non damna paras irux o Discordia semper?
 Tu nexas solvis mentes, disjungis amantes,
 Alta ruis, firmata mores, & destruis arcta:
 Te genuit dirus Draco, te Styx protulit atra,
 Horrendo Eumenides te nutrivere sub antro.
 O utinam à nobis pestis dira exulet ista,
 O utinam Invidia absit iners, nec corda fatiget.

Hypotypo-
 sis Musarū
 profugien-
 tium.

His perturbati curis & cladibus aethi
 Discantum cœtus, melior pars atq; docentum,
 Haerent attoniti, nec quò se vertere possint
 Jam nōrunt: Sedes quærunt mutare priores,
 Atq; novas, ubicunq; ferantur, condere sedes.
 Procedunt juvenes, tacitos sub pectore motus
 Volventes, Musasq; ferunt trepidantibus ulnis:
 Omnia dum metuunt dubij, tamen omnia sperant.
 Non aliter, quàm quos furioso murmure pontus,
 Quando Eurisq; Notusq; ruunt, & praelia miscent,
 Quassavit, trepidosque ignota ad littora adegit.

Laus Fride-
 ricī belli-
 colī, Elect.
 Saxon. I.

FRIDRICUS bello præstans, & grandibus ausis,
 Et vultu, & bifido mucrone timendus aditur:
 Hunc Münsterberg ante alios sapientior omnes
 Affatur placidè, supplex his vocibus usus:
 Dive pater, cuius virtus spectata fidesque,

Esto

Esto favens profugis, finemque impone laborum,
 Nos turbata quies Praga discedere suavit,
 Per varios casus actæ, pia Numina, Musæ
 Ad vos appellunt, sedes ubi Fata quietas
 Ostendunt: Votis indulge Nobilis Heros:
 Te Duce sit fas hic nostra ergò resurgere regna
 Pro tantis meritis tibi pubes serviet omnis,
 Aspera & hinc positis mitescent secula bellis,
 Hic pietatis honor, si nos in tuta repones.
 Talia voce refert curis ingentibus æger,
 Spem vultu simulans, nec enim dubitare licebat.
 Hinc Princeps dictis mærentia pectora mulcet:
 O Socij recreate animos, mœstumque dolorem
 Mittite, vos video quoniam data Fata secutos,
 Quæ nunc Saxoniam intendunt sibi condere gentem,
 Omnia tuta dabo vobis regnisque futuris.
 Est locus hinc, Philyren cives cognomine dicunt,
 Terra exulta, potens rivis, atq; ubere glebæ,
 Perpetuò vobis hanc post habitare relinquo,
 Auxilio tutos præstabo, opibusque juvabo,
 Quando quidem his vultis mecum considerare terris:
 Urbem quam statuo vestra est, subducite Musas,
 Quæ posthac placida compositæ pace quiescant.
 Devenere locos, ubi mox ingentia cernas
 Surgere, quæ caperent venientes, mœnia, Musas,
 Has populusq; frejuens promptè, prompteq; Senatus,
Urbi

Fridericus
 Musas exul-
 lantes sus-
 cipit.

Lipsia de-
 stinatur
 Musas.

Lipsia ad-
 venientes
 Musas ex-

incipit cum
desiderio
& latitia.

Lipsiæ de-
scriptio.

Lipsia Mu-
sarum be-
neficio fe-
lix.

Urbi advenantes læto clamore receptat,
Hisque locis primis jugat, & vestigia servat:
Phillyrides Musæ dici cepere, vocatæ
Pragenses nuper: Namq; id pia Fata volebant.
Hospitium facta est Musis & Apolline dignum
Lipsia, quæ cultu non magno hoc tempore stabat,
Non erat immensis opibus, domibusq; superba,
Et populus simplex erat, & pietatis amator,
Non virtutis egens studijs de vota juvenus,
Undiq; quam multi auxilijs atq; ære juvabant.
Creuerunt Musæ, creuerunt commoda & Urbis,
Undiq; ut hinc fieret celebri notissima fama,
Et varijs opibus floureret adaucta subinde.
Ter quater Urbis felix, quam Musæ Religioque,
Iustitia atq; Fides junctæ incoluere sorores,
Tanti est hospitium Musis præbere benignum,
Illustrant Musæ, fortunant omnia Musæ,
Et sine nil Musis est felix, vile nil est.
Quisquis es ergo, cave doctas affligere Musas,
Musarum veluti cultores larga sequuntur,
Præmia, quæ vitam possunt sine fine beare:
Musarum osores sic tristia cuncta sequuntur
Et rapit immites mors tandem inhonesta Tyrannos.
Sunt Musæ natæ Iouis, ergo curat easdem,
Iupiter, atq; harum contemptum vindicat omnem:
Tota est sacra cohors Academia, quam DEVS vltro
Defendet, servabit & incrementa parabit.

FRID-

FRIDRICVM quando repetito carmine dico,
 Qui fuit in bellis præclarum nomen adeptus,
 Fridrici ad nomen venerandæ assurgite Musæ;
 Ille etenim primus vobis hæc otia fecit,
 Impellente DEI, quis enim neget ista: favore,
 Et vestris Fatis contraria Fata rependens,
 Grandibus exhaustas jam casibus, omnium egenas,
 Vrbe, domo, atq; opibus plenè firmavit & auxit,
 Atq; adeò Regni socias in parte locavit,
 Nutrimenta dedit studiosæ plurima pubj,
 Et posuit præclara sui monumenta favoris,
 Que non sunt seclis unquam moritura futuris.

Ut Fundatoris quàm multò maxima laus est:

Sic sua laus etiam est Conservatoribus ipsis,
 Invenisse parum est, nisi conservata tenemus:
 Gratia par igitur rectè debetur utrisque.
 Sed qua quisq; Scholam hanc parte auxerit, atq; favorè
 Firmarit, molem unde opus hoc excrevit in istam,
 Dicere non facile est; numerus comprehendere verbis
 Hæc benefacta vetat, tantarum & pondera verum,
 Nec sinit id brevitatis præsentis temporis huius,
 Nec vox sufficiat, si ferrea personet ora.

FRIDRICOS quoties Armatos, & Sapientes,
 Et Placidos: Ernestos, & si quãdo Joannem,
 Janum Fridricum, qui claret vulnere male,
 Mauritium, Augustum, Christianum, lumine
 Quorum quisq; sua Musas pietate beavit,

Laus Fun-
 datoris
 æterna.

Laus Con-
 servato-
 rum non
 minor.

Nomina
 Principum
 Ele: Saxon:
 sub quorū
 patrocínio
 Academia
 cōservata
 floruit.

(cerno,
 Egregiè

C

Egregiè exornans donis Academicaregna;
 Tunc videor toties Iofias, & Iofaphatos,
 Ezechiasq; pios Reges justosque videre,
 Quorum decantata est laus, & gloria vivax.
 Salvete ò animæ illustres, astra addita cælo,
 Immortalis honor vester, laus vestra sonabit,
 Perpetuo gratis linguis iteranda tenore.

Christiani
 II. laus pe-
 culiaris.

Sed qua te extollam Christianum voce Secundū,
 Saxonici Imperij Dux, ò mitissima cura?
 Te duce succrescens Ecclesia libera floret,
 Nil metuens hydros turpes, nit atq; Chelydros:
 Te duce tam mihi nostra hæc Academia gaudet,
 Præclaris nuper meritis & honoribus aucta.
 Ore alio indictum dicam hîc, attendite cuncti,
 Qui rebus nostris satis æqua mente favetis:
 Ore quod indictum est alio, hîc, attendite, dicam,
 Spectantes Musas transversa tuentibus hircis,
 Qui malè collatum omne, & qui periisse putatis,
 Quod cessit Musis, quas fors damnosa fatigat:
 Florenos decies millenos Christiis Heros
 Condixit Musis nostris: assurgite Muse
 Patrono vestro, meritas & dicite grates,
 Vocibus & resonate Ejus per secula laudem.
 Vosque Professores, lectissima turba virorum,
 Quorum hinc aucta magis venient stipendia, vestrum
 Noscite Patronum tam mitem tamq; benignum.

Non

Non perit, in Musas quod confert optimus Heros,
 Nec dubia esse potest Clementia Principis huius,
 Qua fruimur læti, viridis sub tegmine Rutæ.
 Panditur hinc vivo cælum: Non cernis, ut astra
 Contrabat Orion, zonamq̄ in fine remittat?
 Hoc iter ad cælum, his in cælum passibus itur.

Nomina quid referam, quorum instaurata labore
 Omnis doctrina est, varijs distincta figuris?
 Vel qui gestarunt auro radiantia sceptræ,
 Insignes mitra rubea, & splendore decori.
 Felici auspicio primos RECTORIS honores
 Munstirberg velut inceptavit, & ordine gessit:
 Non minus auspicio felici Academica sceptræ
 In te Meurero nunc ultima puncta recumbunt:
 Atq̄ utinam ò nullo sint ultima tempore puncta.
 Hinc si quis certo momento ponderet omen,
 Quod res ipsa satis manifesto lumine præbet,
 Inveniet, quæ sit fortuna futura Lycei.
 Advena constituit primùm hæc Academica regna,
 Quæ nunc (omen habes) Lipsensi à cive, tenentur.
 Auguror hinc: Doctis in tempora postera Musis
 Lipsia culta nimis non est caritura, sed illas
 Molliter in gremio, ceu mater prona, fovebit
 Perpetuò, officijs gratisque augebit, honorem
 Convenienter habens Musis, harumq̄ ministris.

RECTORIS r.
 & ultimi
 nomen.

r. Rector
 advena;
 modernus
 civis: Et
 quid caeres
 habeat o-
 minis.

Non has affliget malè culpæ conscia, vulgo
 Nec sinet affligi: Sed contra incommoda cuncta,
 Contra vim cunctam defendet fortiter illas,
 Læta patrocínio, atq; suorum mole bonorum.
 Commoda non dicam, toti notissima mundo
 Namq; ea sunt, Vrbi quæ præstant commoda Muse.
 Urbem felicem, quam perluit, esse putamas,
 Rivulus à sacro Musarum fonte profectus:
 Lipsia tu verò longè felicior extas,
 Fluminibus largis Musarum urbs semper abundans.
 Felix sorte tua es, Musarum munere læta,
 Multiplici decorant quæ te bonitate, beantque.
 Lipsia, propterea Paradisus diceris esse
 Mundanus rectè: Cælum quoq; diceris esse,
 Quo veniat Sapiencia: Lux, Sapiencia, mundi est.

Academia
 cōmodat
 urbi.

Academia
 cōmodat
 Orbi Chri-
 stiano.

Cōmodor:
 enume-
 ratio.
 1. Religio-
 nis firmitas

Quis verò Splendor terreno affulserit orbi
 Ex cælo hoc nostro, clarè lucentibus astris,
 Non referam; lucem foret hoc ostendere Solis,
 Astrorumq; foret cæliq; exponere morem.
 Religionis opus peperit VViteberga, sed auxit
 Et conserva vit constanter Lipsia, nullis
 Dissidijs agitata, errorum nescia, & insons:
 Artes excoluit magis hæc: Clarissima juris
 Lumina produxit: Venit hinc jus omne petitura
 Qui colit extremas diffusi littoris oras.

Quod

Quod regio hæc florens optata pace quiescit,
 Atq; bonis varijs, quæ tellus undiq; fundit,
 Omnipotente sinu: quod mollia corda virorum
 Imperio parent patrio, virtutis amorem
 Quod præstant, & quod civilia munera præstant,
 Et quod stant urbes sociatæ fœdere firmo,
 Et quodcunq; bonum stat nos & mœnia circum:
 Nimirum studijs tribuantur ea omnia nostris,
 Quis sine nil rectum est, & nil nisi dira libido,
 Quis sine nil proprium cuiq; est, nil criminis expers,
 Quis sine nil firmum, sine quis & turpe & honestum,
 Et rectum & curvum parvo discrimine distant.

O quanto seclum nostrum felicius illo est?
 Quo Bellona nocens in nostris se vult oris.
 O quanto seclum nostrum felicius illo est?
 Quo doctrina fuit densis immersa tenebris.
 O quanto seclum nostrum felicius illo est?
 Quo tenuit vinculas Romana potentia mentes,
 Errorum tenebris involvens lumina cæcis,
 Pro Verbo, CHRISTVS quod protulit æthere
 Impuras leges, Decretaq; turpia fingens, (summo,
 Et statuens venalem auro argentoq; Salutem.
 Heu mala pernicies animarum, heu dira venena:
 Quæ te Sancte pater, quæ te dementia cepit?
 Ut flammis atq; ense furens tam sæva tenere
 Regna audace manu, Christo contrarius, ausis.

2. Pacis
 diuturnitas
 3. Terræ fecunditas.
 4. Civium humanitas.

Commodorū
 σωαγόρας
 υός.

Collatio
 temporum
 superiorum
 cum præ-
 senti felici-
 citate.

Objurgatio
 Papæ, quod
 Christo ad-
 versari nõ
 desinat.

CS

Eno

En tibi bella movet lætentum vocibus usus
 Salvator, nexus dissolvit acumine verbi,
 Quos tua vis, & quos tua fraus connexuit atros:
 Nec tamen absistis, quam vis sis fœdior omni
 Jam factus cœno, meretrice & turpior omni.
 CHRISTE tui meriti laus est mansura perennis,
 Quo solo nixa & confisa Ecclesia salva est:
 Nempe Papæ meritis cunctis, meritisque suorum
 Jam sordet tellus, sordet mare, sordet & aër.
 Romanas fraudes felice Germania sensit,
 Te Duce Christe bono, pie te Luthere ministro,
 Hinc Romana fuit vis fraus patefacta per orbem:
 Nuper & excussit Venetorum urbs te, pater, Eheu,
 Cum gemitu, hinc quassata tua exulat undiq; fama:
 Nec tantum radiat gemmis distincta corona,
 Quantum insons Christi spina illustrata refulget.
 Insuper hoc anno felix Bojemia tota
 Libera de diro nexu Babylonidis exit,
 Atq; venenoso fuerat quæ perdita luxu,
 Haurit diuinum nunc pleno gutture nectar,
 Atq; Papæ imperium & fraudes damnatq; fugitque
 Nobiscum hoc anno felix Bojemia gaude,
 Quæ bis centenos post annos libera tandem
 Suscipis & lucem Verbi, Musasque receptas
 Sedibus antiquis, cœlesti elata favore,
 Rudolpho Imperij fasces gestante Secundo,

Huius tem-
 poris feli-
 citas ampli-
 ficat: liber-
 tate toti Bo-
 jemie, con-
 cessa: &
 Academiae
 Pragensis
 collapsæ re-
 stauracione

Ru-

Rudolpho terris lucem accendente Secundo;

Rudolpho pacem terris servante Secundo:

Quæris, quibus studiis nostra hæc Academia floret,

Et qui depositum Verbi, sacra munera, servant,

Quiq; docent Artes, atq; illustrare laborant,

Quotidiè quorum vox increbrescit ad aures?

En prodit, spectare licet, pia turba docentum,

Quilibet atq; sui ostentat monumenta laboris:

Harbartus, Pater ille, Locos cura explicat omni.

VVeinrichius divi collustrat dogmata Pauli.

Smugkius ostendit Sanctorum oracula Vatum.

Mülmannus Legis præcepta iterata reponit.

Suallenberg vocis primæ væ Symbola format.

VVirthius emeritus Processum juris adaptat.

Romanus tradit Decreta Papalia dextrè:

Heidenrich Legum prima incunabula monstrat.

Majerus loquitur quæ sit bona Regula Juris.

VVirthius ast alter Leges de Codice promit.

Gitlerus magni tradit monumenta Galeni.

At Bruno Hippocratis de Cura scripta recenset.

Tanckius excessit vita, cui Sectio curæ.

Feigijs exponit, quæ sit pars Corporis, & vis.

Keglerus medicis herbas demonstrat in hortis.

Meurerus terras, cæli metitur & astra.

Neldelius mores, Logica instrumentaq; format.

Fridricus Linguas atq; historiam ipse recenset.

Nomina

Professor:

Acad. Lips:

& Lection:

publicarū

designatio:

Theologia:

Juris præ-

dentia:

Medicina:

Philoso-

phia:

Cor-

Corvinus benè Naturæ mysteria pandit.

Curtius orantum Sermones ritè figurat.

Bavarus ille Lyram Venusinam pollice pulsat.

Beccerus tibi præcepta Logistica tradit.

Horum ferret opus studio, ingentiq; labore,

Hi Artes & linguas, & sacri dogmata VERBI

Ad seros cupiunt etiam proferre nepotes.

Felices animas, quibus has cognoscere cura est,

Quæ varijs mentes exornant dotibus, Artes:

Non his anteferas, quæ plebs miratur amatque

Fugera vel campi, vel congesti æris acer vos:

Quamvis ille bibat gemma, vel dormiat ostro,

Tuq; bibas fontem, recubans sub tegmine fagi:

Mox tamen in molli cultu ridebis egentem,

Et Divis proptor dulces captabis amores;

Sit satis hoc nobis, Mundus perit, omnia Mundi

Ornamenta abeunt: Semper Sapiencia durat,

Æternos fundens, ceu largo flumine, fructus.

Qui regis imperio certo cœlum, mare, terras,

Et qui divino conservas Numine cuncta,

Omnipotens Pater, & Fili, & qui Spiritus audis,

Par Deitas, par & bonitas, par atq; potestas,

Sit tibi pro tantis concessis gratia donis,

Gratia, quam mentes complecti, aut lingua referre

Nulla humana potest, deberi æterna fatemur

Divinæ, non angelicæ, præconia vocis.

Quando-

Cohorta-
tio ad stu-
diosos.

Oratio ad
Deum, pro
conservat:
VERBI
cœlestis.

Quandoquidem at nostri immenso percussus amore
 Non renuis, quaecumq; damus, pia vota precesque,
 Numinis ante thronum, Majestatemq; verendam,
 Suppliciter palmas ad Sydera tollimus ambas,
 Orantes: Sincera deinceps dogmata Verbi
 Conserua nobis, conserua posteritati,
 Daq; fidem, & placidos composito in pectore motus,
 Te solum ut sperent, & ament, tollantq; cananisque,
 Atq; hinc inter nos dilectio mutua crescat,
 Et pavidas firmet Constans Concordia mentes,
 Et tandem ad caeli nos transfer regna beata.
 Interea Verbo contraria dogmata sacro
 Omnia disturba: Vitae infelicis amorem
 Tolle à pectoribus, fac gens tibi seruiat uni
 Non fera, sed sperans in sancto Nomine semper.
 Artes conserua, quis in tua fama reposta est
 Plurima: deficient nunquam, nec & imperitare
 Verbo permittas, Sed seruitia undiq; praestent,
 Vi decet, & Verbo fidei nostra omnia subsint.
 Hanc Academiam serua, quae bis tamen annos
 Centenos numerat de voto pectore leta,
 Et virte tua stetit, & tot floruit annos,
 Nec tamen atroces casus, nec passa ruinam est.
 Hospitium hoc Musis sacratum floreat, atque
 Auctum venturos opibus seruetur in annos,
 Et semper maneat Musis addicta iuuentus:

2. Artium
bonarum.

3. Academię
totius, ut
& Urbis.

D

Fœcundæ

Fecundæ matres, sint patres undiq; læti,
 Vsq; adeò, nulla ut regionem incommoda tangant,
 Sive etiam affligant rodentes pectora curæ.
 Si verò Verbum: (sed ne vertamur ad omen)
 Musas tolle simul, sine Verbo hostilia Musæ
 Spicula gerunt, totam hanc urbem ab radicibus imis
 Erue, sit regio nullis habitata colonis.

At bonitate tua concede fruamur ut usque,
 Dum patribus cælo nos jungas atq; nepotes,
 Hinc tibi laus & honos, & gloria summa manebunt.

4. Pacis &
 tranquillitatis pu-
 blicæ.

Da Pacem terris, terris optabilis est pax,
 Grata quies Verbo nos nutriat, Artibus atque
 Vt tua noscamus læti prægnantia dona,

Quæ miseris nobis ceu pleno gurgite fundis:

Effice bella sinant, lætos pinguescere campos

Effice, nec madeant effuso Sanguine campi,

Exedat arma ærugo vorax, pascatur & illis,

Et galeæ in curvas falces vertantur & enses,

Et fera corda virum cupiant dediscere bella.

Turca ferox cædes minitans, & naribus ignes

Crudeles volvens deinceps mitescere discat,

Atq; insueta sua ad virtutem pectora flectat.

Et Pater ense potens Romanus, fulmine tetro

Olim terribilis, nostro ridendus at ævo,

Funes atq; rotas tandem suspendat, & ignes,

Desinat hinc Christo contrarius esse potenti:

Bestia

Bestia ſæva, minax, meretricia, perfida, fallax,
 Pernicie ſuæ læta ſua, Sit & inde quietæ
 Raſa cohors: Et Calva cohors nil audeat ultra:
 Hinc nobis tandem veniant felicia regna,
 Quæ merito grandi Salvator Chriſte paraſti,
 Qui fidei certæ documenta inſignia præſtant.
 Te Pater omnipotens oramus cordibus imis,
 Rudolphum Imperij caput, & clariffima membra,
 Totum adeo corpus di vino Numine ſerva,
 Ne ſanctum hoc lædat fraus, ſive ferocia, corpus:
 Floreat Imperium, nulla vi, aut fraude labascat,
 Donec præcipiti lapſum de vertice Saxum
 Comminuat totum, atq; hinc compleat omnia Chriſtus.
 Interea, donec veſcemur munere terræ,
 Magne tære DEUS, quem feciſti enſe verendum
 Chriſtianum his terris, qui præbet ſoſpita Muſis
 Tecta, pijs Muſis gratiffima tecta, favore
 Eximio amplexus diſcentes atq; docentes,
 Qualiter Illius fecerunt nempe Priores,
 Quorum cantata eſt modicè hoc in carmine fama,
 Et magis aucta novo ſemper floſcet honore:
 Imperium Illius firma, vitamq; tuere
 Longinquam: chara vivat cum Conjuge letus,
 Nunquam deponat Muſarum pectore amorem,
 Nunquam deponet, dum Verbum fidus amabit.

5. Rudol-
 phi Cæſa-
 ris.

6. Chriſtia-
 ni II. Ele-
 ctoris, &
 totius do-
 mus Saxo-
 nicæ.

D 2

Salve

Salve Johannes, Rutæ frons læta, Georgi,
 Saxonie Princeps, decus immortale tuorum;
 Tu Musarum audis Patronus maximus, atque
 Sinceri Verbi nunquam simulatus amator.
 Te Mersburgensis Tutorem Ecclesia cepit,
 Conservatorem & te nostra Academia jactat.
 Grande opus est Musas, pia Numina, velle tueri,
 Et firmare animos, & præmia ponere doctis:
 Vive diu felix in tempora postera Musis.

Et tu magnorum præclarus Sanguis Avorum
 Auguste, ut tantum es felix Nominis hæres:
 Sic & virtutis: Salve ô clarissime Princeps;
 Ut Musæ primis te dilexere sub annis:
 Sic illas etiam digno veneraris honore,
 Quis grandem nuper, Dux inelyte, conciliasti
 Et formam, & famam, & decus indelebile, RECTOR
 V Vittembergensis, fama ô æterna, Lycei.
 Et Mater vivat vobiscum, provida mater,
 Quam pietas, virtus, clementia larga celebrat:
 Et Soror, & Conjux vivat, valeatq; per ævum:
 Tota domus Rutæ contermina floreat usque.

Summaria
 & Empha-
 tica pre-
 catio.

Felix sit regio, felices sitis & Ipsi,
 Urbs hæc sit felix, sit & hæc Academia felix,
 Sit templum felix, Plebs felix, Curia felix,
 Et quos Recti amor, & studium quos tangit
 honesti.

Sic

Sic quæ hodiè Seclum binum solenne celebras,
 In reliquum tempus florens Academia cresce,
 Vnde DEO exoriatur honos sine fine

Conclusio

προσφω-
 νηικη

Sequentibus Versibus agebantur gratiæ hospitibus
 tum convenis, tum indigenis, pro præsentia ho-
 norifica: Et simul ad institutum Epulum hila-
 riter perfruendum invitabantur.

Magnificis titulis decorati, & honoribus aucti,
 Præstantes pietate Viri, & virtute celebres,
 Principis excelsi Legati, Principis ora,
 Et Comes illustris, Mansfeldi Nobilis Heros,
 Et quos huc misit proceres Mersburga potestas,
 Wittenbergensis vos lumina clara Lycei,
 Et quos commendat venerandi cura Senatus,
 Et quicumq; alij externis venistis ab oris,
 Et quoscunq; fovent gratis hæc moenia tectis,
 Ducite nobiscum hæc Seclaria gaudia, nostrum
 Quæ vidit nemo, quæ nemo deinde videbit,
 Vocibus atq; DEO conjunctis dicite laudem.
 Mox hinc digressi, nobiscum tecta subite,
 Fercula sumturi, quamvis non fercula lauta,
 Qualia sed Schola fert, non qualia Principis aula:

D 3

Vivamus


*Vivamus hilares, atq; inter pocula læti,
Munera tanta DEI nostri celebremus o vantes,
Angelicis quando jungemur cœtibus, Illic
Gaudia volvemus non interitura beati,
Ambrosiâ pasti, di vino Nectare poti:*

*Interea, Proceres, sit debita gratia vobis
Pro officio, memori quod semper mente feremus,
Venturo pietas hæc fiet cognita seculo,
Pleniùs atq; sequens posthâc letabitur ætas:
Et veluti Nobis faustissima quæq; vo vetis:
Sic itidem Vobis faustissima quæq; precamur:
Da pacem, da gaudia, da, bone CHRISTE,
Salutem.*



*(Sequuntur integra Nomina Professorum qui
hoc temporis articulo in Academia Lipsiensi pu-
blicè docent, quatuor Facultatibus distincti.)*

D. Bur.



I.

- D. Burchardus Harbarth Conicensis, P.
- D. Georgius Weinrich Hirsbergensis, P.
- D. Vincentius Smugk Smalcaldensis, B.
- M. Johannes Mülmannus Pegaviensis, M.
- M. Henricus Sualenberg Stetinensis, S.

II.

- D. Michæl Wirth Leobergensis, P.
- D. Franciscus Romanus Conariensis, S.
- D. Elias Heidenreich Lipsiensis, M.
- D. VVolfgang Mayer Lipsiensis, M.
- D. Michaël Wirth Leobergensis, P.

III.

- D. Balthasar Gitlerus Leobergensis, P.
- D. Christophorus Bruno Döbelensis, M.
- D. Joachimus Tanckius Perlebergensis, S.
- D. Georgius Feigijs, Laubanus, P.
- D. Johannes Keglerus wurcensis, M.

IV.

- D. Christophorus Meurerus Lipsiensis, M.
- M. Johannes Neldelius Glogouiensis, P.
- M. Johannes Fridericus wolffshufius, B.
- L. Wolfgangus Corvinus westenfeldensis, B.
- D. Johannes Curtius Bischfrödensis, S.
- M. Cunradus Bavarus Hallensis, S.
- M. Bruno Beccerus Oscherslebiensis, S.



LAUS LIPSIÆ,
 Consulari ac Senatorio
 Ordini ejus civitatis amplissimo.



Dicata à
 M. CVNRADO BAVARO,
 Poët: Professore.

Descende cœlo Calliope, & refer
 Laudes decenti carmine Lipsicas:
 Equare quamvis nulla posse
 Carmina rem videantur omnem.
 Non, vrbs, superbis culmine currium,
 Non intumescis mœnibus arduis:
 Sed civium virtute firma
 Nullius es metuens pericli,

Cet.



Cernuntur ædes conspicuæ attamen
 Multâ arte, grato marmore puriùs:
 Stant templa formis quàm venustis,
 Curia suspicienda mole est.
 In fronte prima quid queat, aut velit,
 Vrbs pollicetur: Porta ubi visitur,
 Suspensa Parma est, Parma namq; In-
 signia clara refert notata.
 Tres stant columnæ ponderibus suis,
 Equis locatæ limitibus simul:
 Assistit erectus Leo illis,
 Brachia tensa gerens ad oram.
 Imposta Parmæ est Gallea nobilis,
 Ornata Cristis conspicuis tribus;
 Non unius cùm sint coloris,
 Est eadem tamen his figura.
 Signant columnæ tres opulentiam,
 Quæ civicum ornat, sustinet & statum:
 Trabs terna sed conjuncta signat
 Pectora juncta fide atq; amore.
 Fortis Leo hinc convertitur ad latus;
 Clara est imago Iustitiæ Leo:
 Iusti Magistratus patronus
 Est, sceletumque severus ultor.
 Divûm timorem Gallea connotat;
 Quæ perspicit, monstrat Sapientiam
 Veram, DEUM extra namq; multum
 Quæ sapit, haud sapit illa quicquam.

E

Sunt

Sunt signa Crisæ lætitiæ bonæ:
 Crisus superbit non malè civitas,
 In quâ beata floret usque
 Relligio, atque Forum, Domusque.
 Hos nempe signat Crisæ triplex status,
 Aquis ita est distincta coloribus:
 O civitatem perbeatam,
 Quæ capit hæc bona sustinetque!
 Fucata non est Cera coloribus,
 Quæ pressa Signa ostendit: ita argue
 Nativa res fucum omnis omnem,
 Luteus est color ergò laudi.
 Quid puritatem Relligionis hîc
 Dicam? Illa terris perfonat undique:
 Quid IURA, quid sanctum Senatium?
 Quid populi faciem fidemque?
 CONSISTIT ORdo hîc Ingenuus patrVM,
 Causas revolvunt qui graviter pias,
 Nodosque discindunt plicatos
 Iudicio benè pleniori.
 Hic dicitur Ius, dicitur omne Ius;
 Nam Prætor est, majorque Senatus est,
 Assistit his Areopagus,
 Eminent Aulica Curia ulterâ.
 Est civium non parva beatitas
 Explurimo libramine mercium:
 Res florida est cujusque curâ,
 Et capit augmina charitate.

Hic

Hic audit Auris, Lumina quod vident:

Rectè Senatus commoda publica

Tractat, Fides at Subditorum

Et reverentia digna claret.

Signum datur; Cives subito arduis

Fulgent in armis, fulgura detonant,

Ire obviam prompti periculis,

Pro Patriæ intrepidè salute.

Hæc Civitas est annulus aureus,

Cui Gemma rara est addita lucida:

Quæ Gemma sit, forsitan requiris?

Est Academia tam celebris.

Monstrat DEUM, ceu pollice, plenius,

Et sacra dicat cuncta Academia:

Hic nascitur Ius omne VITÆ hinc

Spes oritur diuturnioris.

Hæc Artium est fons, mater & inclyta,

Quarum usus est & summus & optimus:

Hæc erudit mentes, docetque

Plurima, quæ numerare non est.

Felicitatis causa Academia

Felicitatem Vrbi tribuit suam:

Est gratus hospes, dona tanta

Hospitij cupidè rependens.

Felicitatis participes suæ

Hæc Civitas multas alias facit:

Exempla Virtutum hinc petuntur,

Subsidioque viri petuntur

Ecclesijs & Iudicijs bonis,
 Quos Ipsa largè sufficit, ac Scholis:
 Est norma vivendi & docendi
 Urbibus Vrbs reliquis aperta.
 Campo patenti consita LIP S I A
 Afflatur aurâ leniùs: hinc venit
 Et mitior vultus, capacis
 Ingenij & vigor inquilinis.
 Est sermo Civi purus & elegans,
 Moresque cunctorum placidi satis,
 Et libera est & docta proles,
 Matribus & patribus decora.
 Ingens decus Matrum eminet ampliùs,
 Sunt Fœminarum brachia lactea,
 Et blanda Virgo & mollicella,
 Quæ silicem poterat movere.
 Frugum hinc bonarum copia nascitur
 Larga: at solum quod denegat, advehit
 Externus hospes: vina Creta,
 Et piper India nigra mittit.
 Merces Iberus quas habet, hæc habet,
 Quas Roma vestes texuit, hæc tenet:
 Congesta cuncta usui reponit,
 Cunctaque dividit Ipsa passim.
 Est Conda rerum Romaque LIP S I A,
 Quas terra largo suppeditat sinu:
 Nil huic deest, nil huic negatum,
 Quin poterit Paradisus esse.

37.
Vox criminantium est: LIPSIA strata habet

(Dotata quamvis sit nimis) ignea:

Verum illud est; humorem ita omnem

Tollit humo lapis hauriendo,

Nec plena cæno compita sordido,

Hinc ut labet pes lubricus in vijs:

Vestitus est mundus, cibulque,

Sic via (ut omnia munda) munda est:

Si dicis æris non satiabilem,

Et lucri avaram, falleris: heus cupis

Mutare Mullis Gobiones?

Conveniens precium repende,

Rebus statutum est hic precium decens

Iustumque: dictus sumptibus est modus:

Et præmium RECTI est statutum,

Et Nemesis metuenda culpæ.

Vrbs clara, vitæ lux, pietatis &

Virtutis altrix, Iustitiæ parens,

Grata Artium sedes bonarum,

Munere multiplici beata,

Felicitatem agnosce lubens tuam,

CHRISTOq; laudes concine debitas:

Sic te piam servabit, Ipse

Auctor erit tuus, atque Tutor.

E 3

E 1

Ipsa FERIA Adventus Secunda,

Qua Secundam Annum Jubileum celebra vit

A C A D E M I A,

longè omnium celeberr.

Qua Lipsia Libonotorum est.

Festa Dies redijt, quae Mundi RECTOR &
AUCTOR

Translulit Huc PRAGA clara LYCEA Die.

Clara LYCEA Die hac bis centum immota fuerunt
Annos; infidys sint agitata licet.

Sint agitata licet: Tamen Hinc r'vère celebres

ETroiano ut Equo, NUMINE dante, Viri.

NUMINE dante Viri; qui in lucē Scripta dederunt,

Relligione proba, & qualibet Arte bona.

Fure igitur merito Nunc MVS I in gaudia solvant
Corda, DEO grates EXTERUS atq; ferat.

Omnia sint plausus, sint cantus omnia plena:

Namq; Diem festam júbila læta decent.

Acclament Cuncti, Hic Hic durent illa LYCEA,

Florescant posthac Relligionis opes.

Acclament Cuncti; Hic Hic durent illa LYCEA;

Vbere florescat Juridicina satu.

Acclament Cuncti; Hic Hic durent illa LYCEA,

Divite florescat dulcis Hygea sinu.

Accla.

Acclament Cuncti; Hic Hic durent illa LYCEA
 Florescant posthac Artium amœna Cohors.

Acclament Cuncti; Hic Hic durent illa LYCEA
 Florescant posthac nobilis Ordo Virum.

Acclament Cuncti, Hic Pax inter utrumq; Senatū,
 Florescat posthac, duret adusq; rogum.

Acclament Cuncti; Hic Pax & Concordia Civem
 Florescant posthac inter utrumq; bonum.


Hoc Ego, dum laudes ACADEMIA prædicat alma
 Alterius Secli, pectore ovante precor.

Marcus Rorscheidt / S. V. D.
 Elect. Sax. Commiss. ordinarius,
 & supr. Dicasterij Provincial.
 Advocatus.



Typogr: festinanti irrepsere aliquot menda, quas
 Lector facile corrigeret: Et in aliquibus Exemplis
 (Tegula solvuntur) rectè collocabit.





Iub
 A C A
 L I
 Cùm Ea max
 tutâ, annum
 Die IV
 M. C U N R
 LENS, PO
 Majoris P
 L A U
 pecu
 Impensis H B M



A
 ti-
 1040 150

